



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De muro longo. Cap. XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

distinguitur, ex agro in ciuitatem mutauit: ac primum muro fortissimo circumdedit: deinde varia ædificia eaque eximia, in illo extruxit, vt ecclesias, & alias sacras ædes: vt regales porticus, balnea publica, & alia id genus, quibus illustres vrbes magnificè & egregiè adornari solent. Ferunt autem nonnulli locum illum ideo Daras appellatum, quòd Darius ibidem ab Alexandro rege Macedonum, Philippi filio penitus deuictus fuit.

De muro longo. Cap. XXXVIII.

Idem porro imperator opus planè amplissimum, & cum primis memorabile ædificauit (quod longus Murus appellatur) in Thracia in loco commodo situm: quod abest Constantinopoli ad summum ducētis & octoginta stadijs. Mare vtrumque complectitur ad quadringenta & viginti stadia, instar freti cuiusdam: & urbem ferme infulam, pro peninsula efficit: transportatq; eos, quibus libitum est nauigare, à Ponto ad Propontidem, & mare Thracium cū summa securitate. Barbaros denique, qui ex Ponto Euxino, & Cholchide, & Meotide palude excursions faciunt, quique ex locis vltra Caucasum, & qui ex Europa erumpunt, arcet repellitque.

De Chryfargyro vt vocant, quod Anastasius diruebat. Caput XXXIX.

Est præterea res supra modum illustris, & plane diuina ab eodem imperatore in tributo quod Chryfargyrū dicitur, tollendo gesta. De qua quidem dicitur, vel lingua Thucydidis, vel alia pleniore disertioreque opus esset. Ipse tamen dicam, non tam oratione, quam ipsius rei dignitate fretus. Amplæ & eximiæ reipub. Romanorum tributum sceleratum, deo inuisum, & ne ipsis quidem Barbaris, nedum Christianissimo Romanorum imperio dignum impositum fuit, quod ad tempora Anastasij, qua de causa non equidem habeo dicere, neglectum, ipse regificè & cum summa omnium commendatione fustulit. Impositum verò fuit cum alijs compluribus, qui quæstu viciū sibi quæritabant, tum meretricibus, quæ corporis pulchritu

Min dinem